



1. Michaelis s. Joh. Georg. s. diff. de viro Stante
inter Myrtos, Italae 1739.
2. Moller s. Christoph Gotts. s. diff. de Genuina
vocum xarakter et yposta si notione.
Lipsiae 1738.
3. Morheim s. Joh. Laur. s. diff. de ihsu Christo
vindice dogmati de mortuorum ad
vitam redditu, Helmst. 1740.
4. Müller s. Gottfr. En. s. diff. de papolatria.
Lipsiae 1726.
- Müller s. phil. s. diff. de jure Dei in Hamines;
jena 1707.
5. diff. de regno Israeli restauran-
do, jena 1709.
6. crocodilus lacrimans; jene 1733.
7. diff. de Iesu Christo Gaudropo, jena
1704.
8. Paulini s. Caspi. Gottfr. s. diff. de gloria
Brundi jene 1661.

m. 15
Q. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS
De

PALMA
AB ANGELICIS NON
INTERVERTENDA,

ex Col. II, 18.

Quam

PRÆSIDE

JO. GEORGIO NEUMANNO,
SS. THEOL. D. PROF. PUBL. ET ACAD.
BIBLIOTHECARIO,

PRO LICENTIA

IN ACADEMIA VVITTEMBERGENSI

D. XV. Octobris A. d^ois I^o X^{II}.

defendit

M. JOACHIMUS WEICKMANN,
Ecclesiæ Schmidebergenfis Pastor & Ephoriæ Kembergenfis
Adjunctus, nunc vero SS. Theol. Doctor, & Sereniss. PRINCIPI
Anhaltinos-Servesto, a Concionibus & Consiliis sacris.

Recusa, Anno 1711

Digitized by Google
D 6

PALMA
ABANGELICISATION
INTERABRIBINA
PRESIDE
IOGEORGONIUMINNO
SISTEOL.D.PROEPUBL ETACAD.
BIBLIOTHECABRIO
PRO XACENZIA
IN VAGDINI AVITTENBREGENIA
W ZWOGOFA KAPPA TAU
M JOACHIMUS WIECKMINN
LOGOLOGIUS SPATIUS PEGYRUS
Aphamianus acutus TIP. D. B. S. 1616
Appellius-Schulz, f. s. 1616



I. N. 7.

S. L.



AULIUS APOSTOLUS, quo erat propagandæ fidei studio, per agratis Pagorum ultimis terris, Phrygiam quoque Pacatianam adiit, *Act. XVI*, 6. ac repetito deinceps itinere, Laodiceæ atque Colossis, florentissimis istius regionis civitatibus, Evangelii doctrinam annunciat. *Act. XVIII*, 23.

§. II. Tametsi vero corpore adesse, ac præsens intueri pulcherrimos creditum profectus haud poterat: Epaphra tamen & Archippi fidissimorum commilitonum ministerio usus, munere hoc suo præclare fungebatur, *Col. I, 7. 1. IV, 12.*
17. At tanto quidem utriusque Ecclesiæ amore ardebat gentium Doctor, ut comprehensus ac Romæ detentus vinculis, nihil omnino desisteret incepto, sed literis adesset illis, & Laodicenses æque ac Colosenses una eademq; Epistola, qvæ hodiernum in Canone est, confirmaret, *Col. IV, 15. 16.* Nam quod seorsim extat Pauli ad Laodicenses Scriptum, & sacro quondam codici alligatum fuit, sœpiusq; a Sixto Senensi, Jac. Fabro, Stephano Prætorio, Corn. a Lapide, Calixto & aliis protractum in lucem; indignum tanto Apostolo monumentum est, ipsiusq; antiquitatis judicio repudiatum: certe ex *Col. IV, 16.* nihil eidem vel auctoritatis vel præsidii accedit.

§. III. Vix autem aeternam veritatem percepérant Phry-
-gians in tunc dñe xp̄c dñi. A 2 ges
-emps

ges, cum illico falsi exsurerent Doctores, qui transversos age-
rere recte credentes, inq; errorem suum inducere conabantur.
Christum enim Servatorem, nec ante conditum mundum
exitisse, nec adeo effectorem omnium rerum esse d ocebat;
quos proinde confutat Apostolus, & Christum, πρωτότοκον τα-
υτούς κτιστες & conditorem esse πάντας τῶν ἐπί της θαυμασίας καὶ τῶν
ἐπί της γῆς, τῶν ὄφεων καὶ τῶν λογάρων, graviter testatur, Col. I,
v. 15. 16. 17. Idem quoq; Legis Mosaicae adhærebant umbris,
& inani Philosophia specie delusi, ne tyrocinia quidem do-
ctrinæ Evangelicæ posuerant. Qvare ab his avocat suos, re-
cta q; ad Christum via perducit, qvod in illum non velut in la-
cunam aliquot derivatae sint dotes; sed qvod perseveret in
ipso atq; inhabitet τῶν πλινθωμά τῆς θεότητος σωματικῶς c. II. 9.
Quinimo cum sua qvædam insulcentes dogmata, Angelorum
imprimis traderent cultum, & commentitiis qvibusdam
visionibus se efferunt, eoq; aeternæ salutis brabeum aliis
dubium redderent; ita suos adhortatur Apostolus: Μηδεὶς ὑμᾶς
καταβαθμίτω, Θέλων εὐ ταπεινοφορούντων καὶ θρησκεῖα Αγγέλων, οἱ
μὲν εἰσπάκεν ἐμβατέουν, εἰκῇ φύσιμεν οἱ μὲν τῷ νοός τῆς σαρκὸς αὐτῷ,
Ne quis vobis palmarum intervertat, data opera per humilitatem
& superstitionem Angelorum, in iis que non vidit fastuosis in-
cedens, frustra inflatus amente carnis sua, &c.
§. IV. Ut plauum ac pervium reddamus oraculi sensum,
primum omnium de Palma seu Brabeo disqvirendum, cuius
mentio injicitur elegantissimo verbo καταβαθμίτων. Utin e-
nīm εὐαγγελιον est moderari certamina & præmia dispensare
Col. III. 15. unde βασιεύται idem ille, qui præmia certaminis
decernit, & humanitatis studiosis Designator appellatur: ita
καταβαθμίτων nihil aliud notat, qvam brabeo defraudare, præ-
mium abjudicare atque eripere merenti & in capiendo bra-
beo aliquem circumvenire. Missis autem, qvæ ab aliis magno
nume-

numero afferunt, Versionibus, omnium eruditissima Erasmi
videtur, viri antiquitatis peritissimi, qui *karaθpəbēvū palman*
int rvertere vocat. Erat enim in Ludis Græciæ Olympicis
æque ac Romanorum Circensibus præmium, quod victorem
nobilitabat, palma: Ulti vel ex illis Lyricis intelligas: pal-
magre nobilis.

Terrarum Dominos evexit ad Deos. Hor. L. I. O. s. v. 18.

*Sive quas Eleazarum reduxit, vel ovp. assente. quod
Palma caelestes, Idem Lib. IV. Od. 2.*

ut formulas veterum solennes palmam in medio habere possemus, palnam alicui dare, tribuere, deferre, praripere nullo nunc studio attingamus.

Sc. IV. Acilla quidem, qvæ intercipi Colossensibus poterat, Palma, vita æterna est, exposita certantibus, ut εραθετον, Phil. III. 14. ut εραθετον ἀδημαρτον 1, Cor. IX. 24. 25. ut κληρονομια τετραμένην εν εραθετον 1. Pet. 1. 4. Meta vero, ex qva suspensum veluti est brabeum ipsæque Scopus, ad quem tanquam in studio decurrentum, Jesus Christus est, extra quem consequi præmium non licet, Act. IV. 11. 12. Iohann. XIV. 6. Certamen denique ipsum, qvod subeundum αγαντην τικεων est 1. Tim. VI. 12. Si quis τον αγανακτον καρδιον αγανακτον: eidem Dominus ceu Designator quidam ac arbiter ὁ δίκαιος ουρανος αποδώσει τον ειφαροντην δικαιοσύνην 2. Timot. IV. 8. Atque hæc ipsa interpretatione aliorum sententiis non repugnat, qvi vel fidem nostram, vel Christum ipsum per hanc palmam intelligunt. Nam sive objectis obstatulis impediari in cursu, sive aliis insidiis positis a Scopo dimovearis, Palmam tamen interverti existimamus.

§. VI. Ecquis vero est, a quo metus intercipienda Palmæ oboritur? Istud vero *udo*, paulo studiosius investigandum. Graphice de pingitur ille, cum a) *Sæcavocatur*, quod idem

A 3

qvi-

qvibusdam videtur esse qvam εὐδοκῶν ex Matth. XXVII, 43. sensu non pravo; sic enim hæreticus in humilitate sua mirifice sibi placere diceretur. Sed cum ea hærefoes in doles sit, ut qvanta possit, contentione studioqve impedire cursum credentium & vertere scopi faciem labore; δέλαντος nobis idem atque θελαντής voluntarius est, qvi propria secretaqve abreptus libidine hanc judicandi arbitrandiqve potestatem sibi nullo jure arrogat; qvo sensu Cicero alicubi *Senatorem voluntarium* & a se lectum scite admodum appellat; Epiphanius autem θελαντόποιον affectatorem sapientiax Hæref. XIII, p. 30. & θελαντερούσθρηκειαν religionem spontaneam, ultroqve electam vocat Hæref. XVI, p. 34. Hinc & Apostolo b. cap. v. 23. θελαντρουσία electius ille cultus dicitur, qvo qvis suo ductu imperioqve ampliorem sibi religionem proponit, qvam Deus præscripsit. Σέλενη enim atque θελάντην affectatum qvæstumqve studium notare, vel ex Marc. X, 43. 44. constat.

§. VII. Ceterum dignoscitur qvoqve *Adversarius* ε) ex ταπεινοφροσύνῃ φρονεῖ: ο τὸν Αγγέλον. Egregia quidem virtus divinisqve ornata encomiis est ταπεινοφροσύνη, jamqve ad Deum refertur, ut I. Pet. V, v. 6. jam ad Angelos I. Cor. XI, 10. jam ad homines Pbil. II, 3. Hæc quidem Angelis exhibita ταπεινοφροσύνη est, sed cum electitia θελαντής ac eo prætextu adscita sit, ne audacter nimis ac sine internuncio DEUS interpellari videatur; cumqve elationem animi conjunctam habeat, b.t. deniq; ita se gerat, ut neglecta corporis cultura perfectionis Christianæ qvandam ambiat laudem v. 2). ficitam ac hypocriticam prorsus hanc humilitatemq; arrogantiae potius qvam submissionis efferendam nomine esse appetet. Perinde qvoqve de θρησκείᾳ τὸν Αγγέλον habendum est, qvæ vox mediæ significationis est & modo in bonam partem usurpatut ut Jac. 1, 26, 27. modo in malam ut Sap. XIV, 18. Ac in præsenti

qvi-

qvidem non tam *acti*ne accipitur pro cultu ab Angelis instituto, quam *objecti*ne pro honore Angelis præstito, qvia Genitivus cum nomine θρυσεια junctus objectum cultus indigit; nec aliud svaldet, qvæ antecedit, *ταπενονοφρασιην*. Qvantum inferri potius ac supponi prior significatio quam excludi debeat, qvia etiam commentitias jactitare visiones Secretarius perhibetur, b.t.

¶. VIII. Itaque γ) qvanta hominis fuerit levitas, qvamque novandis rebus studuerit, intelligitur, quando in iis, qvæ non vident, fastuosus incessit: α μη ἐπάκεν, εμβατέων. Verbum hoc sumptum esse a Tragicis cothurnis videtur, qvi propterea ιατρας dicuntur. Hinc εμβατέων nihil aliud est Græcis, qvam pedem ponere vel inferre in limites ignotos & alienos. Qvodsi vero temerarium est viam ingredi tenebris sam nec cognitam ante vel exploratam; multo est magis temerarium, rebus supra sensum positis immiscere se, ac potestatem sibi facere qvieq; qvam de rebus incognitis decernendi. Ad animum translata vox pervestitigare ac scrutari ignota, significat; qvem sensum non est, cur in præsenti declinemus. Erant enim ea ætate, qvi arcana cœlestia p̄erqvirebant, Angelis, nec visis nec auditis qvæ vellent, nomina indebant, distribuebant in classes, ipsique Angelorum capiti, Christo præferebant, uti vel ex Col. I, 16. 17. colligitur. Qui proinde sic extra se ferebantur, qvadom velut somno abrepti, spretis corporibus, evolarent atque excurrerent foras, animam a consuetudine oculorum abducerent, exalbescerent objectis imaginibus, & omnibus membris contremiscecerent penetrarentq; in qvandam Numinis speciem falsasq; & mendaces inde visiones nobis referrent, illi Apostoli stylo dicebantur εμβατέων, & ιατρας εμβατέων.

¶. IX. Haud immerito proinde δ) ἀκηρυστόν frustra inflatus esse dicitur, qvi vanas hujusmodi visiones jactitat

que

que ideo præallis insolentius effert. Non evadit aliud membrum alio altius, nisi quando tuniore inflatur atque hoc est *φυσικόν*, adhibitum Apostolo de superbis *1. Cor. IV. 6.* Id in verbum & infantum est, quorum capita tument, unde transformatum ad scientiam quæ inflat *1. Cor. VIII. 1.* Idem denique, et quorum fatigatorum; hinc de sermone inflitorum usurpatur, in quo virtus deficit *1. Cor. VI. 19.* Perinde se res habet cum illis qui in humilitate Angelorum incedunt; supra humanum intumescent modum, scientia illos velut utrem inflat, ut est in Satyra, imo velut equi sunt, qui spirant naribus ignem, ut Maro canit. Fundamentum vero vanissimi hujus fastus, habent in ore vocis τὸ σαρκὸς ὄντος αἴσθησιν carnis sue, ut pergit Apostolus. Cogitatio seu sensus carnis nihil aliud quam prudentia carnalis est, quæ revelationi divinae opponitur *Matt. XVI. 7. Gal. I. 16.* &c ingenio suo fidens dogmata confingit Christo capiti Ecclesiæ reluctantia, unde sit, ut a Christo se quis ipsum avellat ac separet, nec ceu membrum per juncturas & connexus cohærat, sed veluti palmes extra vitam exarescat *Job. XV. 6.* nec augmēto DEI in maius proficiat *Col. II. 19. Eph. IV. 16.*

§. X. Quod si ævi Apostolici perversos, qui erant, Doctores, intueamur; plurimos quidem ejus etatis Hæreticos Apostolus impugnat; sed a quibus suos hoc monito absterrat, haud alium quam Simonem Magum, aut certe discipulos ejus & sectatores fuisse existimo. Cum enim hæc scriberet Paulus, jam tum a veritate defecerat Simō & foedissimis erroribus polluire Ecclesiam cœperat. Nec ulla hoc tempore Secta viguit, cui ea, quæ hoc oraculo continentur, convenient magis exactiusque respondeant. Non enim ab aliis impulsus, sed a se, suoque ipsius arbitratu hæc opinionum portenta peperit impostor, contenditque ērā i rīa uītū pīyāv. *Act. VIII. 9.* Et tametsi sacris Christianorum initiatus Philippo aliquando se appro-

approbaret v. 13. οὐδὲλανταίmen & sponte sua ad pravum ingenium rediit & in qvendam velut σύνδεσμον τῆς ἀδυνατίας concessit v. 23. Hinc etiam est, qvod Hæreticorum auctor habetur, ex quo universæ postmodum Hæreses provenerunt, Ireneao teste c. XXI, p. 42. Et si Epiphanius consulas, primæ omnium, qvæ a Christi tempore ad hanc ætatem prædierunt, Hæreseos princeps Simon ille Magus exitit Heres. XXI, p. 55. Unde Ignatio primogenitus antiqui serpentis filius appellatur, Ep. ad Trall. p. 15. Ed. Genev.

§. XI. Idem proinde Magus, ut cætera, qvæ exclusit dogmata, nunc prætermittam, superstitiosum Angelorum cultum invexit. Quod quidem Baronius, ne Angelolatria ab Hæreticis profecta videatur, negat, ac mirari se dicit, ejusmodi errorem tribui Simoni Mago. T. I. Annal. ad An. VI n. 17. Verum Petavius ipse Not. ad Epiph. p. 40 & hunc secutus Natalis Alexander Sec. I. c. 10. p. 52. deferunt Baronium suum, admissumqve errorem animadvertisunt & improbant, qvando vel ex uno Tertulliano aliud constare poterat. qvi Simoniane, inquit, Magia & disciplina angelis serviens utiq; & ipsa inter Idololatrias deputabatur Prescr. adv. Her. XXXIII, p. 81. Ac in primis quidem docebat ille, DEUM majoris esse dignitatis ac fastigii, qvam ut de rebus nostris adiri debeat, submissi contra animi signum esse, abjicere se ac prosternere coram Angelis, atqve per hos ad præpotentem Deum qvarere aditum. Eaque est ταπεινωφρούμενή τῶν Αγγέλων. Apostolo reprobata, qvam Simoni his verbis tribuit Epiphanius: negat insuper salutem consequi ullum hominem aliter posse, quam si ejusmodi mysteria didicerit, & DEO universitate parenti per illos, quos diximus Principatus ac Potestates sacrificia obulerit Her. XXI, p. 58. Atq; hac inter Philosophos Platoniconrum fuit potissimum opinio, qvi Angelos omnium animantium conditores dixerunt & in aere medios inter æthereum cœlum terramqve constituere. Indi-

B

gnūm

gnum enim putarunt, miseri homines & diis, & Deos hominibus:
dignum autem miseri demones & diis & hominibus, hinc petit
qui allegent; inde concessò qui appotent. V. Augùst. LVIII. de
Civ. cap. XVIII. Tum vero & ὅποι καὶ τὸν ἀγγελὸν tradebat Si-
mon cum gregalibus suis: cum enim mundum ab Angelis
conditum dicerent Simoniani, ut est ap. Irenæum l.c.p. 43.
natura insitum habebant, ut quisque suum mundique crea-
torē coleret & veneraretur, ut censet Calixt⁹ Proœm. ad Coloss.
p. 4 Quod si Nazianzenum evolvas, octo Aēonas a Simonia-
nis cultos observabis, eamque ob causam octonarium nu-
merum ab iis magno in pretio habitum fuisse, Or. XLIV. pag.
719. Quales autem illi Aēones fuerint, exponunt Nicetas in
Scholiis ad b. l.p.720. & Elias Cretensis ad Or. VI. p.178. Nobis
satis est hinc confici, diffusam per has gentes Geniorum su-
perstitionem invasisse multorum animos, eoque solicitam
Apostoli reprehensionem incurrisse.

¶. XII. Neque his tantum partibus constabat Angelolatria
Simonis: sed angelicas insuper revelationes & oblatas cœle-
stium species jactabat, ἀντὶ ἐργάτων εὐεργέτων, ut Noster ait.
Quod raimetsi parcus attingunt Hæresium Collectores: video
tamen Fanaticos ab Epiphanio appellari Simonianos Her.
XXI. pag. 58. De Cerintho autem Simonis æmulo, Gajus in Dis-
put. adversus Proœlum inquit: per revelationes quasdam a se
et antiqua a magno quodam Apostolo conscriptas, portenta quædam,
quasi ab Angelis sibi ostensa, commentus nobis introducit, affir-
mans post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac
rursus homines Hierosol. mis degentes cupiditatibus & voluptati
corporis obnoxios fore, ap. Euseb. L. III. H. Ep. 100. Jam Cerin-
thum idem docuisse, quod Carpocrates, Epiphanius Auctor
est, Her. XXVIII. p. 110. Carpocratem vero ipsius Simonis in-
nutruī doctrinis tradit idem Her. XXVII. p. 202 Nec dubium,
q̄ in factis hisce simulacris turgidi, inculpatæ vitæ & antiquæ
reli-

religionis exemplum se esse voluerint: id quod Eusebius testatur, qvi *Simonem*, ait, *vero primum omnis heresios auctorem fuisse accepimus, ex quo in hunc usque diem, qvi heresinejus profissentur, castam & per vitæ puritatem apud omnes celebrem Christianorum Philosophiam simulantes, simulariorum superstitionem, a qua liberati videntur, nihil minus denuo usurpant.* Lib. II. H. E. c. XIII. p. 51. At iidem tamen spuriissimos conventus ac consuetudines cum mulieribus initas habebant de quibus V. Epiphan. Her. XXI. p. 58.

§. XIII. Qvi vero εἰνὶ φρεγάνειον ob elationem animi audit, idem ille τετυφωμένος, inflatus, ξενού μόρφωσιν ἐνθεβαῖς τὴν δέ σύναυλιν ἀντίον ἔργονται. vocatur, 2. Tim. III, 4. 5. Namque eundem Hæsiarcham hic designari cum Estio statuit B. Caius Bibl. Illust. p. 1025. Nec aliud nos de Simone docet antiquitas. Quantum enim se esse voluerit, subticere non potuit Lucas Act. VIII, 9. In Samaria se ut Patrem descendisse, in Judæa, ut Filium, & reliquis gentibus, ut Spiritum S. apparuisse impudentissimus impostor gloriatus est, Irenæo teste adv. Hær. c. XX. p. 42. Augustino quoque Auctore, in monte Sina legem Mosis in Patris persona dedisse Judæis, tempore Tiberii in Filii persona apparuisse, postea in linguis igneis ut Spiritum S. Apostolis affulsiſſe, venditavit, De Hæref. c. I. p. 8. Taceo audacissimas voces: ego sum sermo DEI, ego speciosus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia DEI, quas referente Hieronymo, profundere non erubuit T. IX. ed. Bas. p. 35

§. XIV. Denique quantum rationi suæ indulserit, quam ὡς τὸς σαρκὸς appellat Divus, vel inde constat quod carnis resurrectionem negasse Simonem perhibent Augustinus L. c. Anastasius Bibliothecarius H. E. p. 16. aliique. Nesciebat enim Simon, ut Dionysius de Div. Nom. c. VI. p. 80. differit, eum, qvi sanæ mentis sit, sensu ratione contra abstrusam omnium

causam uti non oportere. Unde colligas, propterea resurrectionem carnis negatam fuisse Mago, quod eam contra naturam esse putaret. Hinc & γνῶσιν τὴν τελεοράτην sibi tribuebat, ut legitur apud Epiphanius, omniumque cœlitum nomina velut explorata jačtabat; ut existimare possis, hunc ipsum designari ab Apostolo, cum Timotheum hortatur, ut τὰς βεβίλες κενοφωνίας καὶ ἀναδίστης τῆς θεοδονόμου γνῶστες devitet. *1. Tim. VI, v. 20.*

§. XV. Neque vero cum Simone exspiravit hoc malum, aut Apostoli sollicitudine & cura extinctum est: sed opinione latius serpsit & Menandrianis, Basilidianis, Saturninianis, Carpocratianis, Cerinthianis pluribusque aliis auctoribus in immensum excrevit. Maxime autem Phrygiam pervasit, quæ *Heresibus apprime referta* fuit, ut Epiphanius testatur *Her. XLVII. p. 399.* Unde & ipsa Laodicensis Ecclesia in ancipi & lubrico stare visa *Apoc. III, 2. 4. seq.* Longum foret de Phrygibus, Cataphrygibus, Pepuzianis, Montanistis aliiisque dicere, qui in classe hæreticorum sanctorum & Hagiodamone obfessorum ponuntur a Danhauero *Christeid. p. 531.* & illi ipsi sunt, quibus defensoribus haec Angelolatria propagata fuit. *Manxit perdiū hoc vitium in Phrygia & Pisidia, Theodoretus inquit; de Angelolatriis loquens; proinde Synodus quæ convenit apud Laodiceam Phrygia lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in bodiernum usque diem oratoria S. Michaelis apud idos illorumque finitimos videre est.* Illi ergo, humilitate ducti hoc fieri pradebant dicentes: universorum Deum nec cerni, nec attingi nec comprehendendi posse & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. *Hoc est, quod dicit in humilitate & cultu Angelorum T. III. Op. ad Col. II. pag. 355.*

§. XVI. Cedro profecto dignus hic Theodoreti locus est, ac primum de eo nos instruit, quibus auctoribus hic error in Phry-

Phrygia, ubi exortus est, in valuerit magis suaque sumserit incrementa. Dicit autem eosdem, quos stringit Apostolus, Angelolatas mansisse in Phrygia, & superstitioni adhaesisse in illam usque, quæ degebat, etatem. Cum vero in varias Sectas abierit hæc superstitione aliudque nomen ab aliis Ducibus acceperit, jam tertio seculo ANGELICORUM Mappellatione insigniri coepit. De quibus ita Epiphanius refert: *Audit a eis nobis Angelorum Heresis, neque cuiusmodi illa demum Heresis sit, compertum habuimus. Quod eo forte esse contigit, quod, cum aliquando prodisset, desit postea, ac tandem penitus extincta est. Illud vero nomen quam ob causam obtinuerit, ignoramus. Nam, cum Hæretici quidam conditum ab Angelis mundum esse dixerint, utrumnam hac secta, quod idem asseveraret, eodem sit affecta nomine, certo affirmare non possum. An potius, quod in Angelicum se se ordinem arroganter referrent, at que excellentem quandam vitæ rationem instituerent; ne hoc quidem pro comperto afferro. An postremo ab loco quodam eam appellationem sortiti sint; quoniam quidem regio quædam est ultra Mesopotamiam, quæ Angelina dicitur. Heres. LX p. 505.* Ita fluctuat doctissimus Scriptor, versat se in omnes partes, nec quicquam de his certi definit. Tres potissimum opiniones allegat, sed nullam ornat. Ac ultima quidem sua sponte ruit, cum ignorent locum Geographi, qui Ἀγγεῖλη voceretur. Altera vero, quæ ob simulationem Angelicae vita dictos Angelicos vult, rem quidem tangit proprius, sed non absolvit. Prima ergo vero est similior, quæ a cultu Angelico hos ita dictos affirmat. Hanc enim suam facit Augustinus, qui Angelicos sic appellatos existimat, quod in Angelicorum cultum inclinarint C. XXXIX. p. m. ii. Qvarè simili quam teneo, pronuncianda sententia sit, commune hoc nomen fuisse auctum, quo ante Epiphanius tempora insigniebantur omnes, qui Ἀγγέλου τὸν Ἀγγεῖλων fo-
vebant;

vebant; sive Simoniani, sive Carpocratiani, sive Cerinthiani aut quicunque fuerint. Perinde ut se res habet cum Gnosti-
cis, quod nomen familiare plurimi habuerunt avi primi at-
que secundi Hæretici, quos cum refert Epiphanius, *bi se o-*
mnes Gnosticos communi appellatione dici voluerunt, inquit Her.
XXXI, pag. 163. Zonaras quidem atque Bassamon, doctissimi
Canonum interpres, Angelicos alias fuisse existimant ab
iis, qui superstitiosa quadam pietate ducti sese putarint indi-
gnos, qui Christum invocarent, sed angelos implorandos:
At recensendo dogmata faciunt, ut idem prorsus appareant
esse, ad *Concil. Laod. c. XXXV. p. 468.* Ubi Beveregius rectissime
judicat: *Hæc eadem videtur Heresis, qua prima in Ecclesiam Chri-*
stianam a Simone Mago introducta est. Unde & eadem imbuti
Simoniani ab Epiphanius dicti sunt. Annot. at. in Conc. Laod. p. 196.

§. XVII. Neutiqvam ergo desit postea, aut penitus extincta
est Hæresis, quod Epiphanius tradit, sed mansit hoc vitium
in Phrygia & Pisidia Synodoque occasionem dedit Laodice-
na, ut porro Theodoreus doctissima illa in h.l. commenta-
tione testatur. Coacta igitur hæc Synodus est, ut constans Ca-
nonum Inscriptio docet, Laodicea in Phrygia Pacatiana, A.
C. CCC LXV. ubi plurimi Patres ex diversis Asiae provinciis
congregati, facta de rebus saluberrimis deliberatione contra
Angelolatas Can. XXXV. sic decreverunt: § δει χριστιανούς
ἐγκαταλέων τὴν Ἐκκλησίαν τῷ Θεῷ, καὶ ἀπέναντι, καὶ ἀγγέλοις
ὑπουργεῖν ἡ συνάζεις τοισιν, ἀπερ ἀπηγορευται, εἰ τις γὰρ ἔρει
ταῦτη τῇ χεκριμένῃ εἰδωλολατρείᾳ χαλάσω, ἐστιν ανάθεμα, ὅτι
ἐγκατάλιπε τὸν Κόρον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, οὐαὶ εἰδωλολατρείᾳ παροστῆσεν.
Non oportet Christianos, relicta DEI Ecclesia abire & An-
gelos nominare, vel congregaciones facere, quae sunt prohibite.
Si quis ergo inventus fuerit, huic occulte Idololatrie vaca-
re, sit anathema, quia reliquit Dominum nostrum Iesum Chri-
stum,

*sum, filium DEI, & accessit ad Idololatriam: ex Pand. Can. Be-
veregi. p. 468. Caranza Angulos legit, ut inserviat scenæ suæ.
Summa Conc. p. 136. quem errorem miror quoque admissum
esse a Ruelio Hist. Concil. T. III. p. 287.*

S. XVIII. Praecilla certe hujus Canonis momenta sunt, planeque ex sententia Apostoli asserta: quorum alterum ad *συνάζεις* & congregations privatas, alterum ad Angelorum cultum Idololatricum spectat. Conventus Simoniarum ob-scenos ex Epiphianio non repeto; nec turpisima Gnostico-rum conventicula allego, de quibus idem Epiph. Her. XXVI. p. 84. Videntur enim nitidiori paulo facie prospicere, quas Canon hic rejicit, *συνάζεις*. Iis quippe opponitur, quae relictæ Ecclesia abeunt & congregations, quæ sunt prohibite, faciunt & occultæ Idololatriæ vacant. *παρασυνάζεις* uno verbo appellat Balsamon in Scholis. Quid vero *παρασυνάζεις* prohibitæque congregations illæ fuerint, ex solida antiquitate habeo exploratum. Illi enim qui faciebant *παρασυνάζεις*, a) erant stylo Apostoli nostri *συνάζεις* tumore quodam ac fastu inflati, ac de cultu separatis instituendo solliciti: quo nomine notabantur in Synodo Carthaginensi: nec illud prætermittendum est, ut si quis forte Presbyter a proprio Episcopo condemnatus, tumore quodam (*πενίτεντη*) & arrogancia elatus, ex istimæ veritatem debere separatim DEO sancta offerre, vel aliud altare erigendum putaverit adversus Ecclesiasticam fidem & constitutionem: is ne impunis evadat. Can. Xap. Bever. p. 523. Quod de iis dictum Balsamon in Scholis existimat, qui ex arrogancia adversus suum Episcopum *πενίτεντες και ἀποστάτες* in statu sunt & ab eo abscessi. ib. Idem quoque b) Episcopos suos, ut impios ac injustos, præter meritum, reprehendebant, & velut officii immemores lacerabant maledictis. Ac proinde pro *ambitionis & Tyrannis* habentur in *Canone Apost. XXXI.* cuius sensum sic retulit Aristote-

nus:

nus: *Si quis proprium Episcopum sine causa condemnaret, ut neque contra pietatem, nec contra justitiam peccatum est; et convenientia populi privatim faciat, et aliud altare sigat, deponatur, et ipse ut ambitosus, et Clerici, qui eum sequuntur. Pand. Can. pag. 21. In primis autem γ) contemnebant, cui addicti fuerant, Ecclesiam, factaque concursu privatos cultus suos reliquis prefererent. Atque hoc καὶ θεοί εἰσι ληπτά σου itemque ἡ θεοὶ & θεοί τρες εὐλαύνειν quin & iερογενεῖν εἰς εὐκρήπτην θεού privatim concionari, in oratoria domo sacra celebrare Scriptores Ecclesiastici vocant. Tantopere autem Ecclesiam cœtumq; publicum aver-sabantur, ut conventus suos, qui ab illa discesserant, Synagogā, non Ecclesiam dici vellent, ut refert Epiphan. Heres. xxx. p. 142. Ita Eustathius quoque Sebasteorum Episcopus, qui suos ad antiquam ἀρχὴν reduxit, & ascēticæ atq; arctioris vitæ apud Armenios auctor extitit, Sozom. Lib. c. III. XIV. p. 520, adeo det-spexit Ecclesiam, ut Synodo Gangrena errores ejus ideo refelli debuerint. Nam cū hæc disciplina Eustathianorum esset, ut procul ab Ecclesiis secederent, & publicos cœtus, quasi precatiōnib; indulgendum ubiq; sit, negligenter: tali fulmine pe-tuntur Canone V. Si quis docet, domum DEI esse contemnam, et que sunt in ea congregations, Anathema sit. Nam omnibus quidem in locis magnus Paulus precari jubet: sed non ita tamen ut congregations contemnamus nec sacris interessē dignemur, ut Zonaras in Scholiis commentatur p. 419. Rursum cum sacra occulta & latenti qvadam ratione obirent, Canone VI. in h. modum arguuntur: Si quis extra Ecclesiam privatim conciones habet, et contemnens Ecclesiam vult ea, que sunt Ecclesia, agere non convenienter Presbytero, dc Episcopi sententia, sit anathema. Eustathiani enim contemnentes Ecclesiam h.e. fidelium cœtum, privatim coibant, conventusq; aut conventicula potius peragebant, et que in Ecclesia fieri debuerant, sacra mysteria nullo de-*

lecto

Iecodo sacerdote celebrabant; ut prolixie ibideim Zonaras expo-
nit. Hinc Canone XXI. ita concludunt Patres: Domos DEI
honoramus, & qui sunt in iis conventas, ut sanctos & utiles am-
plete simus, NON PIETATEM IN DOMIBUS INCLUDEN-
TES, sed omnem locum in DEI nomine edificatum honorantes,
que sit in Ecclesia, congres sionem, ad publicam utilitatem reci-
pimus. Vid. Canones Bevereg. T. I. 419. seq.

¶. XIX. Altera vero Canonis Laodiceni pars Angelolatras
 disertius coarguit; quibus proinde interdicitur, ne Angelos
 nominent, nec occulte Idolatria vident, aut relinquant Domini-
 num nostrum Jesum Christum Filium DEI & accedant ad Idolatri-
 um. Simonianam hic Hæresin damnari, recte docet Be-
 veregius, fretus Scholia stis Canonum antiquis, quos adducit
 ad faciendam fidem. Nec difficitur cum Bellarmino Peta-
 vius l.c. Sed dissidet ab his Baronius Annalium Conditor, qui
 in tanta rei evidenter fluctuans, ad Ann. LX in. 20. p. 779. bilem
 suam vertit in Theodoretum, ex his inquit, *videas Theodore-*
tum band feliciter, quod ejus pace dictum sit, affectum esse ver-
borum Pauli sensum. Quia & adversus Bellarminum ipsum
 pertendit, Oratoria illa seu facella Michaelis non ab Hæreti-
 cis sed ab orthodoxis exstructa fuisse. Verum frustra speravit
 Baronius, nos in rebus ab ipso Theodoreto conspectis potius
 sibi credituros, quam Theodoreto ~~autem~~ Viderat Theodo-
 retus, Cyri in Syria Episcopus, in Phrygia & Pisidia, in cu-
 jus confino habitabat, Oratoria S. Michaelis, quæ nigrum ab
 Hæreticis, an Orthodoxis frequentarentur, ignorare non
 potuit. Sed abunde nobis est, quod Theodoreetus Vir Patrum
 Cræcorum longe doctissimus, preces ad Angelos & oratoria
 Michaelis tribuit Hæreticis, & damnata esse ait a Synodo
 Laodiceha. Cujus Patris auctoritas apud nos pluris est, quam
 hominum ad Papæ natum factorum & qui Scripturæ juxta &

veterum auctoritatem proculcant, qvoties iis adversantur. Deinde vero obvertit Baronius, loqui hunc Canonem de gentilium cultu, qui spreta Christiana religione, genii sui sacra celebrarint At Synodi haud facile alloquntur Ethnicos, nec condunt Canones in gratiam Paganorum: Et hic ipse Canon hos Angelorum cultores vocat Christianos. An Synodus juberet Ethnicos abstinere cultu Angelorum, cum non essent Synodo subjecti? Tandem probare conatur Pontificius Angelorum cultum ex *Can. prec.* XXXIV. *Laod.* Si enim hæc Synodus cultum veri Martyris recipit, ut ille ex hoc Canone elicit, multo magis Angelorum cultum videatur recepisse. Nam ut sublimiori naturæ, cultus potius Angelis, qvam hominibus debetur. Sed fallitur in assumpto Cardinalis. Non enim cultus religiosus S. Martyrum hoc Canone introducitur, sed memorativus. Non Martyres sed Christum adorabant veteres, quanquam illos ut strenuos Christi Sectatores atque Athletas, qvo par erat honore prosequerentur. *Nos Martyribus nostris*, Augustinus inquit, *non templis* sicut hominibus mortuis, qvorum apud DEUM vivum Spiritus fabricamus. Nec ibi erimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus: sed uni DEO & martyrum esse nostrum sacrificium immolamus. *Lib. XXII. c. X. de Civit. DEI.*

§. XX. Cum itaque Simonianis implicatam erroribus Ecclesiam suam intelligerer Petavius atque hoc Apostoli oraculo impugnatam: *idem, ait, damnare Apostolum, quod C. I. Rom. 2.25. in gentilibus Philosophis arguit*: quod serviant creaturæ potius qvam creatori. Tum vero distinguit: *nos neque Deos esse Angelos dicimus, neque mediatores unicos aut primarios. Mediatores Angelii non nisi per Christum sunt: Sunt tamen modulo suo ut & sancti omnes. T. III. Dogm. p. 154.* Sed adeo sibi non constat Vir Doctus, ut, quam de Simonianis exposuerat & contra

contra Baronium defenderat mentem Apostoli, *Not. ad Epiph.* p. 40. nunc ad gentiles Philosophos detorqveat. Non agnoscit Apostolus Mediatorem nisi unicum ead. Epistola. *Quicquid egeritis sermone aut facto, omnia in nomine Domini Iesu facite cap. III. 17. t. I. Tim. II. 5.* Angeli vero aut sancti ne pro modulo quidem suo mediatores nostri sunt? *Beati Archangeli tui Michaelis intercessione suffulti supplices te Domine precamur,* canit Romana Ecclesia in Missali Romano *Clem. VIII. autoritate ed. p. 457.* Sane qui hac intercessione suffultus DEUM orat, Angelos non pro modulo, sed modis omnibus Mediatores constituit.

§. XXI. Non autem Angelorum tantum cultum ex mente Apostoli prohibet Canon, sed revelationes quoque & secreta illorum commercia occultae Idolatriæ nomine detestatur. Contra Montanistas & Cataphrygas celebratam hanc Synodus esse, ex canone VIII. constat, nec dissentunt Interpretes. Jam vero Montanum cum asseclis plurimum sibi auctoritatis visionum & prophetiarum jactantia conciliaffe, quis nescit? Vide Euseb. L. V. c. III. p. 167. & c. XVI. p. 179. conf. Cl. Itigium in eruditiss. Diff. de Hares. p. 239. Duas enim Mulierculas Maximillam & Priscillam habuit comites & adulterino spiritu repletas, adeo ut ipse quoque perinde ac supra memoratus ille insana quedam & importuna atque aliena loquerentur. Et eos quidem, qui eare detestabantur atque intumescebat, spiritus ille beatos predicabat & promissorum magnitudine supra modum inflabat. Euseb. I. c. Neque indoctam tantum plebem istud hominum genus fascinabat, sed ipsum Tertullianum, doctissimum Virum, pertrahebat in partes, qui ex revelatione Prophetissæ animam corpoream & effigiataim esse didicit: *Est hodie, inquit soror apud nos revelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica Solennia per ecclasis in Spiritu*

potitur, conversatur cum Angelis, aliquando etiam cùm Domino, & videt & audit sacramenta & quorundam corda dignoscit & medicinam desiderantibus submittat. Nam vero propter Scripturæ leguntur, aut Psalmi cantantur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiae visionibus subministrantur. Forte nescio quid de anima differueramus, cum ea Soror in Spiritu esset. Post transacta solertia dimissa plebe quo usu solet nobis renunciare, que viderit. Nam & diligenter digeruntur, ut etiam probentur. Inter cetera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter & Spiritus videbatur, sed inanis & vacue qualitat̄. c. III, de Anima, p. 530. Istam vero colluviem tisque ad tempora Epiphani Phrygiam, Cappadociam atque Galatiam occupasse clarissimis verbis Epiphanus exprimit: Itidem illi desertum quendam in Phrygia locum præcipue venerantur. Est enim hominum illa factio per Cappadociam, Galatiam Phrygiamque, quam ante commemoravimus, dispersa, unde & secundum Phrygas secta dicitur Hæres. XLVIII, p. 416. conf. Baron. ad Ann. 137. n. 40. p. 234. Quin proinde hac Synodo, quæ in Phrygia celebrata est, eadem Hæresis condemnata fuerit, minime omnium dubitamus.

§. XXII. Nemo longius evagatum me putet, quam rei dignitas exigit. Non enim satis investigari doctrina potest, nisi ad quos impugnandos adducta sit, intelligatur. Ipsiique veritas pulchritus emicare videtur, cum quibus circumfusa tenbris, quibusque machinis imperita per omnem atratem fuerit, quamque invicta semper ac salva evaserit, animis nostris recolitur. Reliquum nunc est, ut IIIIto. Disputationis fundamentum ex Apostoli effato eruamus, quo Laodicenam simul & Colosensem Ecclesiam a Simonianis istis atque Angelis avocat ac dehortatur. Nam improbat illorum cultum quia (a) electitius est, (δέλων seu δελογράς), atque uno verbo,

ΣΘΕΛΟ.

εὐελοφρησία, cum vero nihil aliud *εὐελοφρησία* sit quam modus colendi Deum sine praecepto divino, proprio arbitrio suscepimus: Angelos nec ut conditores mundi, nec ut intercessores inter Deum & h̄ omines, nec denique ut nuncios aut revelatores nostros observare ac colere par est Mundum qui condidit Deus est; *Ego sum Iehova faciens omnia, exterdens celas sotus.* Ergo sine foro expandens terram per meipsum. Ergo sine omni instrumento Eſ. XLIV, 24. Qui pro nobis intercedit apud Deum; Christus Mediator est, non nisi unicus ille 1. Tim. II, 5. Nec quicquam revelationis ab Angelis expectandum deinceps est, quia non Angelis subiectus orbem terrarum futurum Heb. III, 5. Quod de Ecclesia N. T. interpretatur Hunius Comm. p. 877, conf. Gal. I, 8. *εὐελοφρησία*

§. XXIII. Tum vero ideo maxime rejecit hanc superstitionem Apostolus, quod (3) jactitat velut explorata, quæ tamen nunquam vidit *εὐελοφρησίαν εὐβατίων*. Atque hos ipsos alio verbo Judas Apostolus designat, cum *εὐελοφρησία somniis delusos* vocat, qui carnem quidem polluant, dominos vero spernunt, potestates blasphemant. v. 8. Cum enim a primis statim temporibus in Ecclesia Dei hujusmodi *εὐελοφρησία* excitaverit Diabolus; severissima adhortatione DEUS ab his populum suum abstrahi voluit; *& surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium vidisse se dicat* (*εὐελοφρησίαν εὐβατίων, LXX.*) *& predixerit signum aut portentum, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, qui tentat vos Dominus Deus vester &c.* Deut. XIII, 1. 2. 3. Similiter & tempore Jeremiæ Deus graviter objurgat hos somniatores: *audi vi, que disserunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes: somniavi, somniavi, (εὐελοφρησίαν εὐβατίων) usque quo istud erit in corde Prophetarum, daticinantium mendacium & prophetantium seductiones cordis suis* (*dei& iusta r̄is iup̄dias οὐρῶν*) qui volunt

facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum, que narrat unusquisque ad proximum suum, Jerem. XXII, 25. 26. 27. 32. Vos ergo nolite audire Prophetas vestras & divinos & somnatores & augures & maleficos c. XXVII, 9. Imo ipsa, qva Christo in his terris degebat, aetate non deerant illi, hinc cavete vobis, inquit, a Pseudo-prophetis, qui veniunt ad vos investituum, sed intrinsecus sunt lupi rapaces Matt. VII, 15. i. e. latrones Job. X, 1.

§. XXIV. Nec illud leve est falsi cultus indicium quod (y) frustraneus ac vanus Apostolo vocatur; verbo: ἀρνητης. Adeo divinus in sermonibus suis est D. Paulus, ut quibus Hæreticum describit verbis, iisdem quoque ab exitialibus ejus doctrinis dissimilat. Verissimumque illud Epiphanius de eo judicium: *Qui non studiose, sed oscitantur in illius sermones incurruunt, iis nonnunquam minus sibi conscientia ac coherentia dicere videatur. Qui vero operam adhibent, et sobria atque exporrecta mente in illos incumbunt, ex ordine omnia ac rei veritate pronunciata judicant, Heres. LXIV, p. 552.* Frustra igitur sunt Angelici, qui, cum a Rege ipso invitentur, Matt. XI, 28. satellites demum adeunt & ante fores illorum commemorantur: Frustra sunt etiam, qui, cum regis ipsius verbum appensis insuper sigillisteneant, ministros denio consulunt, velati nullam promissionibus fidem habituri. Atque hæc Matæologia illa est, quam Paulus vocat τὴν μαρτυρίαν τῶν νοός, Eph. IV, 17. & de qua Christus ait: frustram colunt docentes doctrinas precepta hominum, nam missio præcepto DEI tenent constitutionem hominum, &c. Marc. VII, 7. 8.

§. XXV. Ac eo quidem vanior hæc ratio colendi est, quod (z) carnali, magnique supercilii scientia innititur, suosque cultores reddit φυσικές οὐδὲ τὰ νοός τῆς σωκράτους. Jam quod pulcherrimum alias bonum censetur φρόνημα τῆς σωκράτους, i. e. pru-

prudentia hujus seculi *Luc. XVI, 8.* & sapientia terrena *Iac. III,*
v. 5. adeo tamen adversatur Deo, ut ipsa inimicitia sit *Rom. VIII,*
v. 7. imo mors, v. 6. Denique rejicitur Angelicorum superstitione (^e) quod Christum Ecclesia caput non retinet, & *κρατῶ τὸν κεφαλὴν* v. 19. ex quo totum corpus per commissuras & compagines conjunctum & compactum crescit augmento DEI. Caput Ecclesiae non Petrus, sed Christus est, *Eph. I, 22.* Ecclesia ejusdem corpus *ib. v. 23.* commissa autem, qva coagmentatur hoc corpus, unitas fidei est *Eph. IV, 4, 5.* Augmentum est a capite Christo per fidem, in quorundam habemus fixas, ut illos superstructi confirmemur per fidem, sicut edicti sumus exuberantes in ea, cum gratiarum actione *Col. II, 7.* Si quis igitur sit, qui coram Angelis se abiciat ac prosternat; hic capitum gloriam iis tribuit, nec *Christum* seu verum caput obtinet. Rursum si qui aliam confingat doctrinam fidei, quam qva Ecclesia habet, tamen cohæret, idem quoque labefactat atque convellit corpus Christi, & articulos fidei firmissimis invicem commissuris connexos dissolvit turpiter ac destruit.

G. XXVI. Ita Colossenum juxta & Laodicenorum Ecclesiæ sibi curæ esse voluit Apostolus: qvarum faciem si hodie intueraris, multo illa miserrima est, atque a veteri illo splendore longissime recedit. Testem *et uero amorem* producimus Thomam Smith, Auctorem Anglum, qui confessò in has regiones itinere sic refert: *Colossas a Turcois Chronos dictus cum ingredemur: ab iisdem latronibus quam maxime periclit abamur, nec minus a civibus, qui atrici in Christianos occidentales odio flagrabant: apud quos reperiuntur pauci e gente Graecorum, qui inter tot opprobria ac calamitates, quibus obnoxii sunt, adhuc fidem Christianam profidentur: nulla apud ipsos est Ecclesia, nullus sacerdos, qui Liturgia prælegat, & Sacramentum Eucharistie celebret. Graeca Lingua penitus oblitus miserrimi Colossenses, Turcitate*

cice in familiari sermone loquuntur. Laodicea hodiernae Tureis dicta Esrei Hisar, et netus caserum, arba Lydia, super sex fas
ptemque Colles posita est, qui circumsum, cuius Perimeter ingens
terre spatum occupat, quasi confidere videntur, anemine jam
habitatur, nisi quid hic noctu Lupi, vulpes & alopecida predam
investigatum eant. Quam misera & deserta jacet Laodicea,
que tamquam tibantur celeberrima urbis, uti olim tempore
Plinii, nomen meruisse, in Notitia de Septem Asia Ecclesiis p. 26.
27. seqq. Cum igitur ex Oriente in Occidentales hasce oras
prior illa Christi Ecclesia traducta sit: mirari nequeas ma-
li Genii fraudes, quibus Angelorum insimul superstitione in-
vecta est, quae exorta Evangelii luci cœr pestilens quoddam
sudus nunc imminet, cladeisque & exitiabile damnum mi-
nitatur.

§. XXVII. Nostrum est exemplum Patris docere Ecclesias
nostras, atque, ne superstitione quodam cultu palmarum sibi
intercipi patientur, sedulo easdemhortari. Errant proinde
qui Angelos adorant & in vocant; Nam hujusmodi θρησκεία
Ἄγγελων ad καταβαθμούν palmarumque salutis interverendam
satis est.

§. XXVIII. Nec quicquam sibi rectius consultari, qui di-
stinctione inter θρησκείας διάθεσις conficta, posterius tan-
tum colendi genus Angelis vindicant. Omnis enim cultus,
qui plusquam civilis, qualem θρησκεία significat, contra Apo-
stolum est, & Idololatricus. Joannem ad genua provolu-
tum Angelus graviter increpat: *cave faxis sumenim δύδεις*,
conservustus Apoc. XXII, 6. Opportune Angelus est usus vo-
ce οὐδεὶς, ut duliam respueret: nam cur δύδεις ei deferre-
tur, qui ipse sit δύδεις?

§. XXIX. Sed videtur exilis & frigidus esse cultus Angelorum

rum p̄r̄ honore, qui defertur Sanctis. Qvod si quis integrum Missale evolvat, Missas inveniet in honorum Sanctorum ultra ducentas: at duas tantum in honorem Angelorum: *Michaelis* nempe & *Angeli Custodis*. V. *Missale Romanum Antwerpiae 1627. editum*, p. 456. & p. 106. at si Angelorum cultum noui admittit Apostolus, quo tandem numero habendus est cultus Sanctorum?

§. XXX. Subtilius vero, sed eo non levius errant, qui Angelicis revelationibns aurem præbent, & in terram prostrati, oblatae imagines cœlestesque ideas colunt, de quibus videatur, *Histoire abrégée de la Naissance & du progrès de Kouakerisme, à Cologne 1692.* Namque hæc illa *Tantricoprototypa Ayyūt* est, Apostolo damnata. Sane cum adorari se nolit Angelus bonus, oportet esse Angelum infernalem, quem colunt; is enim prostrato corpore honorem hunc expedit: *me adora. Matt. IV. 9.*

§. XXXI. Istud autem multo absurdius est, qvod, cum expulsi sensibus suis & mente capti fuerint, verbum ad nos referant, & pro divino venditent; quod tamen nec sanam mentem redoleat, nec ipsam cum sacris literis conformitatem: Sed minus id miror, qui ἐβαριώγον, & μή εὐφέκαστοι καὶ μή ικύκαστοι. Pone etiam audivisse illos & vidisse? Si vero Angelus e cœlo predicatorum est, anathema sit, *Gal. I. 8.*

§. XXXII. Errant præterea, dum lumen aliquod natura congenitum sibi fingunt, ex quo omnis omnium rerum notitia fluat, qvodque oculus quidam mentis interior sit, conspiciens intra se omnia cœlestia bona, ut hoc ducere & monitore homo manere in lege DEI, ambulare in luce & errare nequeat. Vide *Histoire abrégée*

D

du

du Kouakerisme c. IX. p. 33. c. XXII. p. 164. Nam hos ipsos rejicit Apostolus *frustra inflatos a mente carnis sua appellat.* DEUS ipse nobis lux est ἐργάτης 1. Job. 1. 5. qvo sit, ut ambulemus in luce v. 3. 7. & lux simus in Domino, atque ut filii lucis ambulemus Epb. V. 8.

§. XXXIII. Improbitum qvoque facinus est, Synaxes & Collegia sacra privato consilio, invitoque & inscio Magistratu, & cum ipsius S. Ministerii contemptu celebrare, laicisque & indoctis utrumque sexus proponendi, dubitandi, qvin & prophetandi partes concedere. Respuit enim has Congregationes Apostolus, qvod non obtinent caput, ex qvo totum corpus per commissuras & compagines subministratum & compactum augescat augmento DEI v. 19. Si quis non sit interpres, taceat in Ecclesia, ceterum sibi ipsi loquatur & DEO 1. Cor. XIV. 28. Dei enim non est confusione Auctor, sed pacts, ut in omnibus ita maxime in Congregationibus sanctorum ib v. 33.

§. XXXIV. Tum & hoc ipso se fallunt, qvod ad Angelicam perfectionem adspirant in hac vita atqve actualibus peccatis immunes se prædicant; Nam iidem qui id præ se ferunt fastuosi sunt, (qvod actuale peccatum) & inflati a sensu carnis sua, cui longe plus tribuunt, quam Apostolus: *Novi qvod non habit in me, i. e. in carne mea bonum; nam velle adest mibi, at ut faciam bonum non reperio* Röm. VII, 18. 19. seq. Gal. V. 17. Quanam igitur fronte puros appellare scipios singulari illa professione possunt, cum omnis Christiane vita instituende ratio ab omni delictorum genere caendum esse, dictitur igitur Christiane doctrine accuratam illi formam non norunt. Epiphanius de Catharis Her. LIX. p. 499.

§. XXXV.

hs §. XXXV. Simili, si non eodem se errore impli-
cant, qvi impletionem legis renatis possibilem esse con-
tendunt. Nam inani huic impletioni integro capite op-
ponitur Christus, cum tota plenitudine Deitatis v. 9. ut
sciamus, in illo nos esse completos v. 30. Quod impossibile
erat legi quatenus infirmabatur per carnem, hoc Deus pre-
stis per mortem filii sui Rom. VIII, 3. Jam præclare do-
cet Apologia: Si renati sentire deberent, se acceptus forte
propter impletionem legis, quando esset conscientia certa, se
placere Deo cum nunquam legi satisfaciamus? Ideo semper
ad promissionem recurrentum, hac sustentanda est infirmi-
tas nostra, & statuendum, nos propter Christum justos repu-
tari, qvi sedet ad dextram Patris & perpetuo interpellat
pro nobis. Hunc Pontificem contumelia afficit, si quis
sentit, se jam justum & acceptum esse propter propriam im-
pletionem legis, non propter illius promissionem. Apologia
A.C. p. 90.

§. XXXVI. Nec melius sapiunt, qvi majorem for-
tioremque sibi præ aliis spiritum datum jactitant, rigi-
dique & Excommunicantes inde audiunt de qvibus late
tractat Ottius in Annalibus Anabaptisticis. Idem enim
sunt, h. t. φυσιγένειο inflati appellantur, Sancti autem Spi-
ritus fructus est lenitas Gal. V, 23. Membrum carnis vi-
tio & tumore inflatum capiti totique corpori exitiosum
est.

§. XXXVII. Præclare docet Theologus Argento-
ratensis: Hominum pia intentio, sine fundamento mandati,
Scriptura & voluntatis divine nibil aliud est quam tem-
rarius fastus & carnalis inflatio. Sunt enim καταβα-
λεύοντες

Béovres b. t. Comment. in b. l. p. 129. cui proinde plane ad-
stipulamur.

S. XXXVIII. Denique nobis dictum putamus illud
Prophetæ Oraculum. Ne vos seducant Prophetæ vestri,
qui sunt in medio vestrum, & divinatores vestri; & ne
attendatis ad somnia vestra; quia vos somniantis, quia fal-
so ipse prophetant vobis in nomine meo, & non nisi
eos, dicit Dominus. Jer XXIX. versi 8. 9. 10.

SOLI DEO GLORIA.



ED - Beg. 2002

01 A 6739

5b.

D.

Rhein

41
Tit. m



m. 15

Q. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS
De

PALMA AB ANGELICIS NON INTERVERTENDA,

ex Col. II, 18.

Quam
PRAESIDE

JO. GEORGIO NEUMANNO, SS. THEOL. D. PROF. PUBL. ET ACAD. BIBLIOTHECARIO,

PRO LICENTIA

IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI

D. XV. Octobris A. d^r I^co XCII.

defendit

M. JOACHIMUS WEICKMANN,
Ecclesiæ Schmidebergenfis Pastor & Ephoriæ Kembergenfis
Adjunctus, nunc vero SS. Theol. Doctor, & Sereniss. PRINCIPI
Anhaltinos-Servesto, a Concionibus & Consiliis sacris.

Recusa, Anno 1711

